

www.e-rara.ch

Oculus artificialis teledioptricus sive telescopium, ex abditis rerum naturalium & artificialium principii protractum nova methodo, eaque solida explicatum ac comprimis e triplici fundamento physico ...

Zahn, Johannes

Norinbergae, 1702

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 9725

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4231>

Reverendissimo et celsissimo principi ac domino D. Ioanni Philippo s. r. imperii principi, [...]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Fleischmann delin. et sculpit Noriberg.



REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
D. JOANNI
PHILIPPO
S. R. IMPERII PRINCIPI,
ECCLESIAE HERBIPOLENSIS EPISCOPO,
FRANCIAE ORIENTALIS DUCI,
&c. &c.

Domino suo Clementissimo

Vitam & Felicitatem.

FRANCONIA est oCVLVs pVpILLA pHILIPPE, DVCaLES
sVnt rADII, faVstæ LVX pretiosa pLagæ.
sVaViter hos spargis; qVos feLIX patria nostro
æterni VoVer, Vt sint In aMore DVCes.
præCaVe! pVpILLAM ne tangito parCa, perlbt
tVnC oCVLVs, sVb qVo fertVr, Vbi ILLa perIt.



Multum cælo debes inclyta Franconia, quod Mag-
num *Tibi PHILIPPUM Principem*, te vero Ger-
manico Imperio dederit Principatum. Tantum
enim ab utroque terris tuis splendoris accedit & glo-
riæ, ut nesciret Te orbis, nisi Germana esses, nec Germani te
colerent, nisi tanti Præsulis in te Majestatem adorarent. Illustrem
tibi

DEDICATIO.

tibi titulum fecit Tellus Allemannica, quæ medio Tefinu, ceu pignus præstantissimum complectitur, uno quippè Geographorum omnium & ore & calamo Europæ cor salutaris. Probant tam præclari nominis pulchram originem expansa mapparum volumina, in quibus Europæa virago Hispanum verticem, coronam Lusitanicam, cervices Navarræas, Saxeo Pyrenæorum montium monili redimitas, Humeros Gallicos, Italicam Dextram, Lævam Anglicam, Pectus verò Germanicum explicat, cui inclusa hæres Cordis instar Orientalis Francia, vel ideò beata, quia in medio tuam tibi sedem benigni Superi fixerunt. Ex illa emisisti olim in terras peregrinas & exterarum gentes ac populos, in Longobardiam victores exercitus, in Galliam Reges, in Britanniam inquilinos, Colonias in Belgium, in ipsum etiam Romanum Imperium Augustos Cæsares, ne scilicet inani nomine audires vitæ fons, nisi collectas in te vires ac potentiam per reliqua corporis Europæi membra liberaliter diffunderes. Vivis etiam hodie dum Cor Nobile, vigesquè adeò, ut superioribus recentibusquè bellis exhaustæ commeatibus Provinciæ, tuis ex agris annonam, Bellantesquè exercitus submissis à Te copiis pedestribus Equestribusquè robur acceperint & incrementum. Vigorem hunc animumquè tibi inspirat *Reverendissimus & Celsissimus Princeps Tuus*, qui sapientissimis Imperiis ita Regiones tuas moderatur, ut apud incolas bonorum omnium affluxus, apud externos, Cordis Franconici fama non emoriatur.

Tanta Gloria sitûs Tui est Illustrissima Patria, quam tamen extra Mappas in ipso Imperiali Solio longè majorem lego. Non jam pectus, sed mundi caput Germania est, cui Soli, detractum Orienti Schismatico Diadema, in *Carolo Magno Ingelhemio* imposuit *Leo Pontifex*, ut à membris reliquis Augustus vertex tanto certius distingueretur. Hujus capitis *Serenissimus Oculus*, primus Imperii circulus Franconia diceris: Oculus verò dexter, si continuatam in pace æternâ, per tot annorum spatia felicitatem intueor: Sinister etiam, quia Religioni acutissimè intentus, ideòquè in cultu Liturgico pro DEO ad aram Canonicus, pro Cæsare in campis & conventibus Aquilinus, Rotundam fabricæ ocularis formam vel fors, vel natura tibi impressit. Illa, dum Ducali te inclusit pileo, cum quo voveris ita, ut nunquam sese

fiste.

DEDICATIO.

fisteret tuarum fortunarum cursus: Hæc dùm amœnam camporum tuorum planitiem, fœcundorum collium eleganti frequentia ita extulit, ut teretes montium vertices sphericam humani oculi figuram scitè in Te efformarent. *Frondeo Sup reiliorum* arcu Te coronant Sylvæ amplissimæ, ab ortu Bohemica, à Septentrione Hircinia, ab occasu Ottonica, quibus providè septam Te agnoscimus, ne facilè tempestas inopina, aut inimicorum colluvies in speciosum oculum delaberetur. Habes & Membranas *Tuas Tunicasquè tenuissimas*, ut non minus esses Regionum Teutonicarum miraculum, quàm oculus vultus & frontis humanæ. Prima eaque adnata tenerrimus est in *Divos Deiparamquè* amor, qui cum lacte materno ab incolis tuis imbibitus adhærescit perpetuò, facitquè sacram Te Marianamquè Provinciam ab Orbe suscipi Christiano. *Specularem* inducit popularium integritas, morum germanus candor, exacta sacrarum civiliumquè Legum observantia, Juventutis inter lectissima Sapientiæ Lycæa præclara institutio, quibus de causis in Te ceu nitidissimo speculo Provinciæ ordinatæ imaginem deprædicant omnes & admirantur.

Uveam super Te expandit Bacchus Thyrsiger, quoties pendentes de vitibus botrose jugis cultissimis subjicit Torcularibus, atquè inde in cellas depluit potabile aurum, quo ditescis, ipsa Germania verò tota reficitur: *Reticularem* texunt hinc per stabula alta ferarum *Diana* venatrix, illinc per fœcundas squameis gregibus *Mæni, Sala, Tubera* aliorumquè fluviorum undas *Thetys piscatoria*, quarum utraqùè ad mensarum oculorumquè delicias feras in retia sua cogit piscesquè innumeros, non minore colonorum tuorum gaudio, quàm raræ fertilitatis apud extraneos commendatione. *Cornea* deniquè cingunt Te cornuta Armentorum agmina, quæ lætis pascuis ad Tuas Tuorumquè lautitias pinguescunt & epulantur. O Franconiam Germanici capitis Oculum lectissimum!

Pupilla Ducalis Oculi es Reverendissime & Celsissime Princeps, quæ nisi lucem affunderet, præclara Franconiæ oculatæ Machina rudis esset indigesta què moles: Ardet in medio oculati *Ducatûs Celsitudo Tua*, & virtutum Principalium, tanquam ocularium humorum præcipua Triade supremum imponit Germaniæ oculo decus & ornamento. Radiat sapientia tanti
Præ-

DEDICATIO.

Præfulis & Humoris instar ChrySTALLINI mente perspicacissimâ purissimâquè excipit Divini, quo regitur, spiritûs radios, eosquè tam copioso lumine reflectit in patriam ut coeleste regimen latissime agnoscant omnes & demisse venerentur. Nequè glacialis ista crystallus est quovis affectuum, adversitatumquè vehementiore æstu eliquanda, sed Adamantina, nullo (quod fortitudinis est) frangenda fulmine, nullis (qui rigor Justitiam comitatur) animi motibus à justissime ceptis dimovenda. Viret in *Celsitudine Sua* indefessa virtus, curæque de promovenda salute publicâ assiduæ, in quas dum oculos suos defigunt subditi, profilit ex humore velut vitreo amicus ille *viror*, quo frondescere incipiunt spes ac desideria Patriæ, fore nempe, ut inter ferrea, quæ redivivus Mavors intentat tempora, aurea Franconiæ Pax & tranquillitas sub *Argi Celsissimi* excubiis non turbetur. *Est Beneficentia & Clementissimus Munificentissimi Principis* animus, Humor ille aqueus, quem ex suavi hoc salutis bonique patrii fonte liberaliter hauriant Universi. O Fortunata iterum iterumquè Franconia, quæ talem *Pupillam* in oculis geris! Non hæc pupilla Marii est, non Augusti Cæsaris, quæ accedentes propius torvæ *Majestatis* in humano fulmine percellebant. *Pupillam Amoris Philippum* prædico, Hæc blanda gratiarum Iride circumdata, dum suos radios communicat Subditis, mutuos eorum affectus blandissimâ vi ad se rapit. *Clementissimâ* hæc humanitate ceu *Musculis* suaviter & fortiter volvitur *Franconiæ Oculus*, hi *Nervi sunt Animasticus & Opticus*, quibus non umbratiles rerum imagines, sed corda Francorum *Celsissima Pupilla* excepta altè transmittit in animum, novaquè vicissim evibrat Amoris, obsequii, venerationisquè argumenta.

Extingue nunc stelleræ tuæ Lumina, nocturna cœli facies; conde plumeos radiosi Syrmatis ocellos superbe pavo; arescite florentes hortorum, gemmantes botrorum faculæ, diem alterum brevissimo obtutu non visuræ! Abjice pedum Arge centocule, quia talpa es, dum pupilla nostra vigilat! Quâ fulgente non alias Illustris Patriæ Oculus distillabit Lacrymas, quàm Lætitia & gaudiorum.

Patere ter felix Franconia non tangi, sed pronissimo vertice adorari Pupillam hanc Tuam! Patere & Tu Reverendissime ac Clementissime Princeps transferri Te in artificialem, quem fronti hujus
Operis

DEDICATIO.

operis præfixi *Oculum*, ut *Serenissimâ hâc Tua* illustratus *Pupilla* videre incipiat & videri. Fave solatium illud non tam libro meo quàm seris posteris, ut quoniam inevitabilis conditionis humanæ necessitas in tristem claudet (post longam tamen annorum seriem) *Tua Lumina* noctem, videant saltem amentquè in exanimi hâc pagina radiantem. Humor, qui Te in oculo hoc artificiali ambiet, non *Crystallinus*, sed ater est, candidissimi tamen ominis, quia è calamo candido servitiis tuis æternum addicto profluxit, non tam voluntate meâ, quàm celsissimo jure, quo Tibi illum vendicabas, debetur quippe *Principali Pupillæ* præsens *Oculus*, hanc enim provida fata oculo *Franconico* præponi voluerunt suo illa tempora, quæ græca * *Oculi* vox duplici characterè sub magna ex parte non citra felix auguriû indicaret: ut nempe oculari sæculo, occulati *Ducatûs illustre Lumen* in *Pupilla Philippicâ* accenderetur. Intuere *Reverendissime Princeps* non vitro aliquo optico, sed *Clementissimâ gratiâ Tuâ* opusculum hoc, obsequii mei pignus, & illico supra tenuitatem propriam excrescens majus videbitur mihi & orbi literato universo: quod uti futurum spero, ita cum *Franconiâ* latus accino

* *Oculus* græcè οφθ. o. in numeris valet 70 φ 700. uterque numerus Sæculi post millesimum septimi index est, sub cuius initium electus est Celsissimus in *Ducem Franconiz*.

*AnnI PVpILLæ LIBentVr ab æthere MILLE
tVnC oCVLI stabIt LVX sVa, sqVallor abIt.*

REVERENDISSIMÆ CELSITVDINIS
VESTRÆ

Servus infimus

F. JOANNES ZAHN. Parthenonis
Cellæ inferioris candidi & Canonici Ord.
Præmonstratensis Præpositus.

XX

DONUM